DE

ANATOMIA PATHOLOGICA

NONNULLA, QUIBUS NECESSITAS ET OFFICIUM, MORTUORUM SECTIONES ET INSTITUENDI ET PERMITTENDI, PROBATUR.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIII. M. JANUARII A. MDCCCL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Joannes Leonardus Lamby

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

AUGUSTO MUELLER, med. et chir. Dr.

ROBERTO WILMS, med. et chir. Dr.

F. KUNDE, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS B. SCHLESINGER.

Les secrets de la nature sont cachés, quoi qu'elle agisse toujours, on ne découvre pas toujours ses effets: le temps les révèle d'âge en âge; et, quoique toujours égale en elle même, elle n'est pas toujours également connue. Les expériences qui nous en donne l'intelligence se multiplient continuellement; et, comme elles sont les seuls principes de la physique, les conséquences se multiplient à proportion.

Pascal.

Quidquid essentia dignum est, id etiam scientia dignum, quae est essentiae imago.

Baco de Verulamio.

VIRO

S. T. PERILLUSTRI, DE SCIENTIIS ET LITTERIS
MERITISSIMO

DOMINO A LICHTENTHALER

BIBLIOTHECAE MONACHIENSIS REGIAE ET UNIVERSALIS DIRECTORI ETC. ETC.

VENERATIONIS GRATIQUE ANIMI TESSERAM

NEC NON

AMICIS BAMBERGENSIBUS:

SACERDOTI VENERANDO **PETRO DRAUSENYK**, SEMINARII BAMBERGENSIS AD COLENDOS MAGISTROS DIRECTORI; REVERENDO VICARIO **SOELLNER**; MEDIC. **DRI. ZOEPFEL**, MEDICO SECUNDARIO IN NOSOCOMIO BAMBERGENSI

AMORIS ET AMICITIAE SPECIMEN

HAS

PAGELLAS

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Vita continet aliquot sententias de Hermesianismo et de arte obstetriciae.

PROLOGUS.

Ad impetrandos summos in medicina et chirurgia et arte obstetricia honores opusculum inaugurale exaraturus de eligenda materia, quam adumbrarem, diu ambiguus haesi. Arduum enim fuit, argumentum viribus meis consentaneum deprehendere, quum persuasissimum haberem, experientiam per aliquot annos in clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis collectam minime sufficere, ut ea, quae a praeceptoribus mihi tradita erant, aut vera proclamarem, aut rationalibus argumentis dubia ostenderem, aut prorsus denique repudianda censerem. Disquisitiones physiologicas, aut physiologico-anatomicas instituere non licuit, quia partim vivisectiones administrandi opportunitas et adminicula, partim aliena compilandi voluntas me defecerunt.

Persuasum tandem habens, incrementa nulla et scientiae et praxi medicae suppeditari posse, nisi pathologia anatomica promoveatur; probe meditans, non solum magnam medicorum partem hoc axioma vilipendere, sed etiam plurimas familias mortuorum sectiones

recusare, imperitos de hac re edocendi periculum facere conabor.

Societates constitui haud ignoramus, quae eo enitantur, ut medicis lucem et evidentiam appetentibus unicum hoc discendi adminiculum subducatur; imo adeo homines ingenii cultu haud destitutos illis societatibus praeesse scimus. Quas societates, religionem et pietatem quandam simulantes, nihil aliud moliri opinor, quam ut vulgus ignarum, quae, contemta meditatione, superstitiosis et portentosis facile fidem habet, fanatismo imbuant. Addere sufficiat, non unum esse virum, qui talem conatum pietati et religioni christianae consentaneum esse, verbis sublimibus demonstrare studeat. Imo sacerdotes, tantum abest, ut inculti populi mentem illustrent veramque religionis notionem explicent, ut passim praejudicia illa alant ac foveant. Mortuorum sectionem recusare et huic abusui, ut dicunt, per societates sepulturam procurantes occurrere, tam a ratione quam a religione alienum est, quod in tertia hujus opusculi parte argumentari studebo. Suprema ratio Deus est, oblectari igitur nequit iis, quae rationi repugnant. Quid quod nonnulli theologastri paucos ante annos, in colendis studiis theologicis ad cognoscendum minime ratione utendum esse, perhibuerunt. Hoc nihil aliud significat, quam veram religionem a populo depellere formasque tueri, quarum sublimior notio incognita est. Num christiana mens talibus fovetur rebus? Vix et ne vix quidem! Hominum enim est, animum sibi comparare stabilem, quo sub omnibus vitae conditioni-

bus sustentantur, qui ipsis sufficit, si aliis omnibus destituuntur. Est etiam hominum, inexpugnabili munimento sese tueri, ut a cupiditatibus in rationem irruentibus se defendere possint. Evidentissime explanare conabor, eos et in semet ipsos et totam gentem humanam committere peccatum, qui cadaverum sectionem recusando medicum impediunt, quominus medicam scientiam ad majorem perfectionis gradum evehat. Quod revera fieri, et Berolini et Monachiae expertus sum. Quae quum ita sint, commoda exponere studebo, quae tam in scientiam medicam quam in praxin e mortuorum sectionibus redundant et, hoc tantum modo artem nostram ad hominum salutem excoli posse, demonstrabo. Utinam harum pagellarum Lectores cum indulgentia eas excipiant probeque meditentur, me, ab omni ambitione et arrogantia alienum, solo generis humani amore ductum, ad hancce materiem animum meum advertisse. Utinam etiam homines, majore doctrina et eloquentia ornati, ad promovendas litteras medicas huic argumento operam impendant, ut et vulgus et medici impedimenta, quae mortuorum incisionibus offerri solent, e medio tollant. Tam sacerdotes quam praeceptores multum hac parte praestare valent, dummodo necessitatem cadavera secandi populo persuadeant aptaque eruditione praejudicia ejus evertere studeant.

INTRODUCTIO.

Quum pathologicae anatomiae notio composita sit, proximum est, ut singulas ejus partes definiamus, deinde exploremus, quam inter se necessitudinem alant, ut unitas existat. „Anatomia" notio primaria, „pathologica" autem ejus additamentum est, quo notio amplificatur. Anatomia, a verbo ἀνατεμνω derivanda, quod ex ἀνα et τεμνω componitur, verbotenus incisionem denotat. Quae significatio deinde ad artificialem corporum organicorum, in specie humanorum, sectionem deferebatur. Scopus is erat, ut mutuus organorum situs, nec non eorum indoles partesque constituentes cognoscerentur indeque de functionibus judicium ferretur. Quisque medentis provinciam administraturus hoc sibi necessarium putaret necesse fuit, ne fiducia in se collocata abuteretur et impostoris partes ageret. Sese conservandi desiderio impulsus homo, quum dysphoriae sensu et functionum anomaliis premeretur, auxilium appetiit, ut anomalias illas atque earum sequelam, dolorem nempe, depelleret. Dolor et auxilii inopia,

aeque ac metus saepe obvius, ne vita periclitetur, ad conquirenda praesidia, quibus organismi integritas instauraretur, hominem impulerunt. Singulares autem homines, qui duce experientia morborum quorundam remedia percontabantur, medentes seu medici appellari solebant. Qui quidem, mentis humanae et totius naturae legem sequentes, ultimam omnium rerum rationem indagandi, sive Aesculapii tantum ministri, sive veri salutis humanae propugnatores essent, debitam corporis humani, partium singularum atque situs earum notitiam accuratiorem sibi comparare tentabant; neque pauci huic officio, quod ratio injungere videbatur, satisfaciebant, vel hominum vel animalium mortuorum corpora incidentes. Qui tali studio sese tradiderunt, vel scholas huc spectantes habuerunt, anatomici eorumque opus anatomia vocabatur. Mox intellexerunt, anomala phaenomena et corporis humani conditiones morbosas ex fonte organico penitiore incognito profluere, quem investigandi cupiditate accendebantur. Qui fieri enim potuit, ut effectui, i. e. morbo mederentur, dum causam ignorarent? Diu substiterunt in eo, ut, quae hunc illumve corporis morbum comitarentur, circa aegrotantium lectulos examinarent. Anatomici quidem jam dudum anomalias et formae et fabricae nonnullorum organorum invenerant, tandem vero, novarum rerum cupidi, mutationes in vivo organismo fortasse orientes cultro anatomico in cadavere sciscitandi consilium ceperunt; certe dubitationes quasdam, visis repertis neque ad theoreticam neque ad practicam

medicinam applicatis, dirimere studuerunt. Sinceri medici partim ad animum suum placandum, partim ad agendi rationem vindicandam, partim denique ad mentem erudiendam, impellebantur, ut morbosa symptomata apud aegrotos observata cadaverum sectionibus interpretarentur, id quod initio rarius perpetrabatur. In nosocomiis autem communibus, ubi impedimenta et difficultates minores majusque medicorum, vera cognoscendi, desiderium inveniebantur, mortuorum incisiones et disquisitiones mox increbrescebant, quo factum est, ut theoretica et practica medicina multum caperet incrementi, siquidem causa phaenomenorum pathologicorum revelabatur, quae antea, nullo causae fundamentalis respectu habito, nomine quodam docto solebant impetiri. Quot fuerunt heterogenea, quae, quum dilucidari non possent, in unum colligerentur fasciculum! Meditemur quaeso voces „irritatio spinalis", „gastricismus", „Asthma;" nonne peritior quisque fatebitur, diagnosin admodum confusam a medicis saepe constitutam esse?

Sic paulatim consuetudo increbruit, cadavera secandi, ad expiscandas causas phaenomenorum inter vitam obviorum, et visa reperta saepe exspectationem fefellerunt, quanquam non omnes id ingenue profitebantur. Tali modo, praesidia ad eruendam diagnosin vulgo adhibita minime sufficere, facile apparuit, quod maximi momenti fuit.

VERBI SIGNIFICATIO PATHOLOGICA.

Praedicatum „pathologica", quod additur voci „anatomia", etiam duplicem involvit notionem; componitur enim e substantivis πάϑος (passio) et λόγος (doctrina), itaque verbotenus doctrinam de aegrotationibus et aegrotantibus, nec non illarum explorationem denotat. Anatomia pathologica igitur anatomia ea est, quae de morbo praegresso, aut potius de productis et causis affectionis praeteritae, sive abnormis partium situs, sive producta corpori aliena, sive partium elementarium mutationes iis subsunt, certiores nos reddit. Haec verbalis anatomiae pathologicae notio est, realis, quae ad ejus indolem respicit, amplior est, non solum enim cognitionem et descriptionem anomaliarum in cadavere inventarum molitur, sed etiam ex his genesin et evolutionem mutationum deducere variosque evolutionis processus cum morbi praeteriti symptomatibus conciliare studet. Anatomiae pathologicae est, ex autopsia quam accuratissime et rectissime functiones physiologicas et pathologicas, nec non processus physiologicos mixtos secundum praemissa rationi consentanea illustrare, qui ad abnormitàtem deflexi omnia organismo inimica vitamque exstinguentia produxerunt, porro efficacitatem mutationum morbosarum in reliqua organa indagare multisque phaenomenis apud aegrotos obviis, quae haud

raro perperam explicantur, debitum locum assignare. Saepe secundariae affectiones curantur, quae alius mutationis organicae sequelam constituunt itaque omnem medentis operam eludunt. Multos haemorrhoidarios hoc testari existimo, nam saepe haemorrhoides et sanguinis congestiones concomitantes impugnantur, minime autem circulationis impedimenta, quae haud raro perennem haemorrhoidum fontem constituunt, respiciuntur. Tale anatomiae pathologicae studium, quod lento sed certo pede progreditur, ad eruendam diagnosin perfectam, i. e. ad morbum recte cognoscendum, plurimum confert. Sincerus therapeuta, respiciens ad eventus per anatomiam pathologicam suppeditatos, quos intelligere nequit, nisi ipse anatomiae pathologicae studuerit, antecessorum experientia suffultus remedia investigare conatur, quae, adjuvante vi medicatrice functionum organismi normalium, processuum vitalium harmoniam rebus externis vel internis turbatam redintegrare valeant. Quod ut consequatur, medico rationali effectuum physiologicorum, nec non eorum efficacitatis in reliquas ejusdem organismi functiones notitia opus est. Ad amplificandam hancce notitiam anatomia pathologica certe optima exhibet subsidia. Quum maxime quidem probabile, minime autem absolute necessarium esse videatur, abnormes mutationes partium corporis functionumque physiologicarum aeque ac producta organismo aliena, quanquam in eo exorta, ab eodem nutritionis processu pendere, anatomiae pathologicae cultorem id agere oportet, ut rationem, quam proles tam hetero-

genea cum matre alat, neque minus differentiae causam percontetur, quae quidem causa haud dubie cernitur in discrimine inter processus directionem atque impulsum qualitative diversum cujusdam vis, quae catalytica vocatur.

Ex praemissis haec possunt deduci: anatomia pathologica est ars, corporum organicorum cadavera incidendi, producta anomala vel in vel super organismo luxuriantia perscrutandi, mutationes abnormes in iis obvias cognoscendi, describendi eorumque efficacitatem (quatenus vel apud aegrotos observabatur, vel apud mortuos animadvertitur) in reliqua organa explorandi, ut genesis et evolutio, nec non commercium cum universo nutritionis processu illustrentur. Anatomiae pathologicae notionem priore tempore angustiorem fuisse, unusquisque facile intelligit, qui medicinae historiam obiter intuetur, nam quo magis variae disciplinae medicae creverunt, quo plura investigationis praesidia, ut microscopium et chemia organica, in usum venerunt, eo magis notio amplificabatur. Initio enim ea tantum notio fuit, quam etymologica interpretatio obtulit.

Fontem, ex quo nostra scientia (pathol. anat.) hauritur, partim cadavera praebent, partim mutationes pathologicae in vivo corpore obviae, de quibus ex autopsia et praemissis apodicticis subordinatis judicamus.

Anatomiae pathologicae cultorum est, quam accuratissime pathologicas mutationes earumque producta in mortuorum corporibus disquirere, neque minus necessitudinem cum reliquis organismi partibus tam sanis quam

aegrotantibus indagare. Caveat autem, ne phaenomena, quae putredine aut gravitationis lege inducta sunt, inter vitam orta existimet, imo adeo symptomata apud aegrotos observata ex iis interpretetur, id quod de forensibus sectionibus probe adnotandum est. Sugillationes enim et maculae funereae quod ad genesin et tempus, quo oriuntur, longissime distant et in casibus forensibus varia admittunt judicia, si de maleficorum culpa sententia ferenda est. De summo enim hominis bono agitur, de libertate, quam sola temeritate aut negligentia restringere nihil aliud est, quam offendere Deum, qui hominem liberum creavit, et rationem humanam, quae illam ad summum gradum evehi jubet, ut liberae voluntatis vis intensior reddatur, quae ad promovendam dignitatem humanam, nimirum intellectus et libertatis vim curamque aliorum saluti impendendam necessaria est et quam obtinendi jus ratio nobis tribuit. Unumquemque igitur hanc nobis largiri atque tueri decet. Comparatio anomalorum cum normalibus omittenda non est, nisi unicum praesidium repudiare velimus, quo mali gradus quadantenus definiri possit. Quum perinde ac plura alia, multa producta pathologica quod ad formam physicam solo obtuitu aequalia esse videantur, quamvis indole, fabrica penitiore, genesi et evolutione maxime differant, microscopio uti oportet, ut criteria physica subtiliora reperiamus, et quum ne hoc quidem sufficiat, ad chemicas analyses et reagentia, quibus organicae materiae examinantur, confugiendum est.

Chemicae analyseos ope productorum pathologicorum elementa quantitative et qualitative definiri studemus, id quod etiam de secretis et excretis valet. Fortasse comparatio eorum, quae chemica analysis et reactio excretorum pathologicorum atque physiologicorum seu normalium suppeditat, morbi causam detegere et diaetam huic consentaneam imperare potest. Quodsi causa in defectu cernitur (e. gr. ferri sanguinis in anaemia et chlorosi), aut in abundantia (e. gr. fibrinae in inflammationibus), aut quarundam materiarum, quarum certa portione ad corpus sustentandum opus est, aut in productione substantiae, quae statu normali non deprehenditur (e. gr. sacchari in diabete mellito), forsan medicamina normalem statum instaurantia inveniuntur. Errant autem, qui, ut multi faciunt, persuasum sibi habent, theoriam therapeuticam solis disquisitionibus anatomico-pathologicis suffultam morbis posse mederi; materiae enim, quemadmodum per se aliae sunt, ita etiam alias inter se proportiones alunt, quam in vivo organismo, qui perpetuae materiarum vicissitudini obnoxius est, cadaveris autem partes ineunte putredine magis minusve dilabuntur. Eventus disquisitionum anatomico-pathologicarum solum constituunt fundamentum diagnosis, prognosis et therapiae rationalis, quamobrem, qui scientiam illam vel ignorant vel negligunt, pro medicastris habendi sunt. Medicum omnibus uti oportet subsidiis, quae vel experientia veteris scholae, vel explorandi methodus physica scholae physiologico-pathologicae ad consummandam scientiam medicam

ei offert. Vituperandi non modo sunt, qui discendi studio destituti cadaverum sectiones fugiunt, sed etiam, qui superbia inflati veterum experientiam vilipendunt. Utrumque potius studium consociandum est, ut totum quoddam existat. Proinde nemo disquisitiones anatomico-pathologicas inutiles et supervacuas existimabit, quippe quibus solis pathologica phaenomena circa aegrotantium lectulos obvia explicentur et certa criteria productorum morbosorum variorum obtineantur. Inutile quidem foret, tales disquisitionum eventus e cadaveribus impetrare, nisi id simul ageremus, ut ea, quae deprehendimus, cum iis conferamus phaenomenis, quae in vivo organismo tam aegrotante, quam sano observata sunt, nexumque demonstrare experiamur, qui inter utraque intercedit. Difficultates magnae et hucusque inexpugnabiles, disquisitionibus illis obstantes, medici fastum deprimere eique persuadere debent, omnia, quae sciamus, multo minora esse iis, quae discenda supersint, solumque intuitum et descriptionem productorum insolitorum variarumque abnormitatum animo tantum rerum novarum curioso satisfacere ejusque fastum fovere. Omnia haec frustranea sunt, nisi ad praxin medicam applicentur, id quod ad medium usque saeculum duodevicesimum fieri non solebat, nam ad hoc usque tempus disquisitiones anatomico-pathologicae paene usum mere anatomicum habuerant. Ut disquisitiones illae therapeutis utiles sint, anomaliae inventae, id quod supra jam adnotavi, cum phaenomenis inter vitam observatis exacte comparandae operaque danda est, ut

nexus rationali via investigetur. Inde necessitas patet, accuratissimas morbi historias, quales vir praestantissimus Opolzer elaborari jussit, inter sectionem in promtu habendi, ut haec frugifera evadat. Quae equidem hac de re vidi, sane misera sunt. Non solum in praxi privata historiarum morbi concinnatio prorsus negligitur, sed etiam viri magni nominis, clinicorum directores, obiter tantum eas elaborari curant; nominatim anamnesi, quae quoad therapiam gravissima est, minimum operae impenditur. Quae quum ita sint, viri illi, scientiam suam anatomia pathologica parum amplificari, recte judicant; non autem ipsi huic disciplinae imputanda est culpa, sed levitati, qua eam colunt; non e cadaverum sectionibus eam hauriunt. Merus intuitus praxi confirmatus et judicium errare nescium (?) hisce viris sufficiunt, qui, ut videtur, jam dudum sapientiae fontem se exhausisse opinantur.

Quum sine normalium notitia cognosci et definiri nequeant anomala, anatomiae pathologicae cultorem perinde universalis et specialis anatomes peritum esse oportet. Quemadmodum autem is, qui mortuas partes earumque situm quam accuratissime novit, nondum de singulis partibus, ut vivis organis, et de processibus in vivo organismo evenientibus judicium ferre potest, nisi eos in ipso corpore vivo observaverit et physiologicas rationes functionum partibus anatomia cognitis propriarum bene perspexerit, ita anatomiae pathologicae cultor vix dignitatem mutationum pathologicarum in cadavere inventarum quod ad vitam dijudicare poterit,

nisi physiologicos, in sano corpore occurrentes, processus intellexerit, quibuscum phaenomena apud aegrotos obvia comparet necesse est. Anatomia et physiologia jam per se physices et chemiae notitiam supponunt, qua anatomiae pathologicae cultori eo magis opus est, si producta et mutationes morbosas singularum partium earumque necessitudinem cum processibus pathologicis inter vitam obviis bene interpretaturus est. Proinde anatomiae pathologicae cultor anatomia, physiologia, chemia, physice (microscopia) imbutus sit necesse est.

E quibus clare elucet, ridicula proferre eos, qui anatomen multo magis necessariam esse censeant medico, quam anatomiam pathologicam; minime enim altera excludit, sed haec illam supponit. Anatomicus quisque exercitatissimus num pathologus etiam est atque therapeuta, num anatomes notitia supervacuam reddere potest anatomiam pathologicam? Qui talia profitetur, cogitationes minus necessarias esse quam loquelam, asserere potest.

Quid sit anatomia pathologica, quid certe esse debeat, exposuimus; jam commoda illustrabimus, quae ex ea in theoriam et praxin medicam redundent; tum, ad promovenda scientiae medicae incrementa eadem opus esse, demonstrabimus; denique in tertia opusculi parte argumentabimur, unumquemque ad colendam hancce disciplinam symbolam suam conferre posse, imo officio quodam obstringi, quidquid studii viriumque saluti humanae impendendi.

PARS I.

Quanti momenti sit anatomia pathologica ad veram morbi imaginem acquiescendam.

Quemadmodum argumentis facile probatur, physiologiae incrementa vere litteraria nullo non tempore ab anatomiae studio pendere, ita intelligi ac demonstrari potest, pathologiam eo gradu excoli, quo studium crescat, quod medici anatomiae pathologicae impendunt. Hoc haud dubie jam Eustachius (+ 1570) sub vitae finem persuasum habuit, non solum enim alios ad hujus disciplinae studium enixe invitat, sed etiam se ipsum minus operae, quam par fuerit, ei impendisse, multo cum dolore fatetur. Quo certior cognitio, eo certiora et veriora ratiocinia sunt, quae inde deducuntur. Quum vero nihil meliorem notitiam, nihil majorem evidentiam nobis suppeditet, quam autopsia, nemo ratione praeditus dubitabit, productorum pathologicorum et mutationum corporis mortui intuitum optimam exhibere basin, cui claram status morbosi imaginem et phaenomenorum pathologicorum apud aegrotos occurrentium interpretationem superstruere possimus, quibus auxiliantibus diagnosin certam constituere licet. Quam facile medicus totam morbi imaginem complectitur, si

producta et mutationes morbosas, quae in partibus organicis efficiuntur, in cadavere conspexit. Adjuvante autopsia, si anatomiae et physiologiae gnarus est, de phaenomenis inter vitam occurrentibus, quorum fons saepe scaturit in loco, quem nemo adire solebat, rationem sibi reddere potest. Verosimilium et explicationum mysticarum sublimium loco anatomia pathologica ei vera suppeditat, id quod exemplis illustrabo. Quid de apoplexia judicarunt medici, priusquam ad explorandas mutationes pathologicas cadaverum sectiones adgrediebantur? Versio germanica: stupor, paralysis singularium membrorum, mentis, animae per apoplexiam, nos edocet, nonnisi symptomata paralyseos subito irruentia reputata, minime vero causam horum phaenomenorum externorum mente conceptam esse. Incognitum illud ens praesidiis incognitis, respectu habito phaenomenorum, quae modo secundaria fuerunt, impugnabatur. Empiria sola, multis jam perditis, scientiarum medicarum basin constituit. Anatomia fontem illorum phaenomenorum paralyticorum detexit causamque in cranii cavitate nobis ostendit, pro rebus efficientibus differentem. Modo productum alienum, ut sanguinis extravasatum, exsudatum serosum, abscessus, tumor scirrhosus, modo substantiae cerebralis dilapsus in loco aliquo deprehendebatur. In his tamen minime acquieverunt. Visa reperta ultimam causam perspicuam cerni docent in organica aut mechanica circulationis perturbatione (organicis aut mechanicis circuitus impedimentis), e. gr. in destructione valvularum cordis, in

metamorphosi calcarea mobilitatem inhibente, in vasorum sanguiferorum sic dicta ossificatione etc. Novissimo tempore etiam in vasis cerebri sanguiferis coagula sanguinis incuneata, affluxum sanguinis prohibentia et cerebri nutritionem subvertentia, reperta sunt. Quae conditio ad inducendam encephalomalaciam sufficit. Sectiones temporariam talium malorum sanabilitatem confirmant, quandoque enim reliquiae eorum, aut producta jam dissoluta et partim resorpta apparuerunt, imo interdum solae cicatrices, i. e. concretiones parietum, quibus sanguinis aut seri effusi collectiones inclusae fuerant. Tales sanationis modi, naturae viribus inducti, si in cadavere commonstrantur, indicio sunt medico rationali, quonam modo therapiam gubernare debeat. Nonne haec omnia largam meditandi materiem praebent medico eumque ad continuandum studium invitant? Locus adeo mali accuratius determinari potest, quippe quod semper latus partibus resolutis oppositum teneat. Quod sequitur exemplum, anatomico-pathologicae autopsiae dignitatem, ut morbi symptomata ad ultimam reducantur causam, illustrabit.

Morbus quidam ab ave lutea (*ἴκτερος*) icterus seu morbus flavus vocatur. Hoc quoque nomen nihil nisi symptoma secundarium denotat, quod initio hoc tantum phaenomenon princeps consideratum esse testatur, quod autem postea, quum anatomia bilem flavam esse docuisset, ad bilis abundantiam, perinde ac alii quidam morbi, reducebatur. Quot causae sublatu faciles, aut difficiles, aut plane inexpugnabiles, hoc malum proferre

possint, mox videbimus. Ab externo symptomate morbus, ut retulimus, icterus dicitur, quod symptoma indicat, vel bilis secretionem, vel excretionem, vel utramque inhibitam esse, id quod faeces cinereo-argillaceae et urina fusco-flava innuunt, nec non sectiones hominum hoc morbo defunctorum argumentantur. Inventi enim sunt calculi modo in ductu bilem ex hepate ad vesiculam felleam vehente, modo in canali, qui bilem ad intestina deducit, modo in ipsa vesicula fellea, bilis effusionem praepedientes. Procedente tempore pressio mechanica amplificationem ductuum biliferorum et ipsius hepatis, sensationibus dolorificis stipatam, at sine vera inflammatione, efficit. Pressio mechanica sanguinis circuitum in hepate, itaque nutritionem, disturbat. Nonne fortasse flavae hepatis atrophiae causa in turbato circuitu ponenda est? Haud minus scirrhosae degenerationes bilis secretionem et excretionem prohibere eademque symptomata proferre queunt. Mihi ipsi praeparatum anatomicum demonstratum est, in cujus ductum choledochum ascaris lumbricoides ex tenui intestino irrepsit. Eadem de plurimis hepatis degenerationibus notanda sunt.

Ductus biliferi etiam catarrhali tunicae mucosae affectione et intumescentia coarctari et excretio prohiberi possunt, quemadmodum duodeni catarrhus effusionem ita impedit, ut tunica ejus mucosa inflata ductus choledochi ostium obturet. Magnae sanguinis congestiones ad hepar mechanica pressione bilis secretionem offendere queunt. Bilis e sanguine haud secreta ad

systema arteriosum transit, aut in vesicula fellea ductibusve hepatis biliferis accumulata bilis stagnat, resorbetur, ad sanguinem arteriosum et systema vasorum capillarium pertingit, quo facto bilis pigmentum in cute externa deponitur, quae colorem flavum inde obtinet. Quod symptoma pro morbo habebatur et icterus vocabatur. Quanta autem causarum occasionalium est differentia, quam anatomia pathologica nos docet! Nonne praesagium quoque et curatio maxime discrepare debent, prout icteri causae differunt? Utinam practici medici, qui sibi videntur, hoc probe meditentur. Non possum, quin casum commemorem, qui in nosocomio Pragensi mihi obvius magni momenti esse videtur. Puella viginti circiter annorum ictero aegrotans recipiebatur. Examine accuratissimo a praeceptore maxime venerando, Profess. Opolzer, quippe qui nunquam hoc omitteret, instituto, morbus pro duodeni catarrho habebatur et consentanea curatio administrabatur, cui tamen icterus restitit. Alvi obstipatae causa aloë praebebatur, sed ne huic quidem cessit icterus. Post quatuordecim dies exanthema syphiliticum effloruit, quod, adhibitis Dzondii pilulis, simul cum ictero evanuit. Hic quidem casus sententiae favet domini Dr. Dieterich, Pragensis, qui carcinomata hepatis sanata, ut perhibetur, nihil aliud, nisi producta syphilitica, in hepate exorta, fuisse tradit. Similis casus in nosodochio Berolinensi, Bethania, exstitit, qui amici Dr. Wilms benignitate observandus mihi committebatur et supra dicto modo sanabatur.

Numne medicus tali instructus autopsia et experientia, quam cadaverum disquisitiones ei pepererunt, multo veriorem et certiorem icteri imaginem sibi finget; nonne icterum tali modo perspectum multo aptius et rationi convenientius curabit, quam qui autopsia et experientia illa destituitur? His etiam singulare illud phaenomenon explicatur, quod unus idemque morbus diversissimis remediis curatus est. Saepe enim remedium morbi causam exstinguens fortuito exhibebatur, quo facto morbus ipse evanuit.

Sicut pathologicam anatomiam ad eruendas causas penitiores, quae apoplexiae et icteri symptomatibus subsunt, maximi momenti esse probavi, ita de aliis morbis idem valere, argumentari licebit. Nescio enim, numne plurimis nervorum morbis pathologicae mutationes varii generis subsint, quae nondum indagari potuerint. Haud immerito praeceptor venerandus, Profess. Romberg, haud debitam operam et studium colendae neurologiae areae impendi, exprobrat. Sperare tamen licet, fore ut vir ingeniosissimus et in anatomia pathologica versatissimus, Prof. Virchow, quem, quondam praeceptorem, propter indefessum studium artis salutaris incrementa promovendi, summo amplector amore, anatomiae pathologicae ope lucis aliquid super obscuram et difficilem hanc materiem diffundat.

Singulatim etiam adnotare me oportet, quaenam anatomiae pathologicae sit dignitas, ad morborum decursum clare illustrandum processumque eorum physiologicum interpretandum. Hoc optime pulmonum

morbis probari posse existimo, qui creberrime occurrunt et quorum processus olim quam minimum cogniti fuerunt; anatomia demum pathologica densas tenebras, quibus hi morbi premebantur, dissipavit. Qui pulmonum morbi sunt: tuberculosis, inflammatio, oedema, emphysema pulmonum, pleuritis, rel. Anatomia pathologica ostendit, non omnibus, quae olim collectivo nomine „tuberculosis" „phthisis pulmonalis" appellabantur, eandem materiam morbificam subesse. Plurimi pulmonum catarrhi chronici, quorum fons multiplex esse potest (praecipue circuitus sanguinis perturbatio, morbo quodam pulmonum, aut cordis vitio, aut pressione, quam producta pathologica in haec viscera exserunt, inducta) pro phthisi aut tuberculosi pulmonum habebantur. Seriori tempore haec notio novis quibusdam productis limitabatur, quae e certa diathesi per agens quoddam morbificum (tuberculosin) emergerent.

Magnus sectionum numerus argumentatur, tuberculosa producta creberrime in pulmonibus deprehendi, quanquam in aliis corporis partibus saepe exsudatum occurrat, quod anatomica et histologica indole tubercula adaequat. Quodsi in aliis corporis partibus tubercula inveniuntur, plerumque in pulmonibus etiam exstant. De eorum genesi, quoad observari potest, anatomia pathologica haec docet: quum massae liquidae gelatinosae formam exhibeant, exsudatum liquidum vasis edi, ratiocinamur. Interstitia particularum telae pulmonalis hac massa imbuuntur et implentur, quod tantum fieri potest, si materia liquida est. Exorta hinc va-

sorum compressione sanguinis circuitus turbatur, vesiculae pulmonales coarctantur et aëris aditus ad vasa pulmonum capillaria offenditur, imo nonnunquam praecluditur, unde spirandi difficultas et color cyanoticus oriuntur, ut in tuberculosi acuta. In his causa respirationis indeterminatae cernitur. Initio massa tuberculosa pellucida est et amorpha, amplificata speciem offert vitream, grana molecularia, adipem, salia calcarea, cellulas imperfecte evolutas, nuclei expertes, habet. Saepe substantia granulosa praevalet, ut granula calcarea.

Post partialem constituentium partium liquidarum resorptionem jam nudis oculis duae massae tuberculosae, forma differentes, animadvertuntur: vel languido alba, subcinerea, semipellucida, homogenea (infiltratio cana), aut flavida, opaca, solida, lardacea, aut caseoso-friabilis (tubercula flava). Num formae differentia forsan a quantitate relativa humoris massae, quae formandorum granulorum materiem constituit, pendet? Cellulae singulares, imperfectae, transitoriae, unica processus organici in tuberculis vestigia, paulatim oriuntur; tubercula vasis carent. Frequens tuberculorum exitus hic est: emolliuntur et puri similia fiunt, cui processui telae, in quibus deposita sunt, etiam submittuntur. Substantia basica amorpha consolidata diffluit; granula elementaria secedunt, neque minus cellulae et cytoblastema dilabuntur. Liquor vel recens secretus vel jam exstans producta illa excipit et sic emulsionis speciem obtinet; massa emollita saepe sputis editur.

Quemadmodum massa tuberculosa liquoris instar exsudatur, ita tantum post emollitionem et liquefactionem resorberi potest, perinde ac emollitum exsudatum post pneumoniam. Hoc quidem cavernae pulmonum testantur telae destructione exortae, deinde cicatrisatae, i. e. concretiones parietum, nec non massae solidae, compactae, interdum in cartilagineam aut calcaream substantiam mutatae.

Circa massam tuberculorum calcaream capsula fibrosa formatur, simulatque dyscrasia tuberculosa interiit et tubercula hoc modo a reliquo organismo segregata, multos per annos pulmonibus sine damno immorari possunt, praecipue si productiva vis et metamorphoses subeundi facultas tuberculorum, cujus gradus cum sanguinis diathesi justam necessitudinem alit, exigua est. In cadaveribus hominum aliis morbis exstinctorum saepe tubercula cinerea cretacea inventa sunt, quae ante annos duodecim — triginta exorta esse, anamnesis docuit. Visa reperta porro ostenderunt, tuberculosin generatim pulmonum apicem adgredi, inflammationem autem a lobo inferiore plerumque assurgere et, si pneumonia duplex sit, decussari.

Has disquisitiones cadaverum ad invenienda pathologica producta vel mutationes maxime necessarias esse existimo, ut scientiae medicae incrementa augeantur, ex iis enim certa praesidia, morbum cognoscendi et prognosin constituendi, nobis emergunt; eaedem medico rationali, therapiam idoneam administrandi, indicia suppeditant. Imo physica explorandi methodus (aus-

cultatio, percussio, palpatio, quae ad diagnosin pulmonum, cordis et abdominis morborum maximi pretii sunt), anatomiae pathologicae originem debet, proh dolor autem a multis etiamnunc negligitur. Nuper in policlinico aegrotus mihi tradebatur, cui post pleuritidem larga exsudatio intra pectoris cavitatem supervenerat. E quatuor medicis, qui eum curaverant, nullus thoracem exploraverat!!! Tales viros „medici" nomen haud decet, miseri enim sunt opifices, officii sui plane immemores.

E dictis facile patet, anatomiam pathologicam unicum esse adminiculum, morborum imaginem veram et perspicuam conquirendi. Quis est, qui diffiteatur, disquisitionibus cadaverum propius ad eruendam morborum indolem nos accedere, quam via mere speculativa, quae saepe ad alios atque alios errores seduxit. Quis in posterum contendat, cognitionem illam non certam exhibere basin, cui rationalem therapiam superstruere possimus? id quod ante dimidium annum clinici cujusdam director negavit, etsi inficiari noluit, nos ad definiendum morbi locum multum esse lucratos. Num hoc vilipendendum est et numne multa alia haec scientia nobis revelavit? Anatomia pathologica omnia fugat phantasmata, quae medici de morbis conceperant. Nuper inter sectionem hominis carcinomate hepatis mortui, cui sanguis ater per alvum secesserat, quem medicus ordinarius melaenae nomine impertivit, inaudita audivi. Quum equidem, observationibus anatomico-pathologicis innixus, objecissem, alicubi ulcus cum vase

rupto, aut vas quoddam laceratum, deprehendi oportere, medicus ille respondit, vasis ruptura non opus esse, sed se existimante sanguinis coagulum, ventriculum et intestina implens, exsudatum esse! Mea tamen sententia confirmabatur. Morbi nomen erat Melaena; quid medicus ille hoc nomine sibi finxerat? Etsi vasorum parietes sanguinis globulis impermeabiles sint, tantam sanguinis massam tamen exsudari posse, credidit.

Porro asthma ut morbum singularem perhibent, quanquam nihil esse potest, quam secundarium malum, quod unamquamque affectionem, quae respirationis mechanismum offendit, excipere solet. Multa igitur hoc nomine occultantur et genuina imago causarum efficientium, quae multiplices sunt, non concinnatur. — Non modo tria exempla, quae apposui, sed tota pathologia sententiae meae veritatem argumentatur. Anatomia pro suspicionibus et imaginationis figmentis realia nobis praebet. Quid tandem superest, si autopsia seu rerum imago nos deficit? unde incitationem externam, ut animi actio in scientiae medicae area exerceatur, profecturam esse speras? Via tantum, quam anatomia pathologica praemonstrat, veram artis salutaris cognitionem comparare nobis potest.

Sane medicum, qui hoc persuasum habet, miserere oportet, quod vulgus in suum ipsius detrimentum unico subsidio, scientiam medicam amplificandi, temere medicum privet, quum omnia mortuorum sectionem necessariam vindicent. Num quid ad salutem mortui aut

ipsius familiae interest, utrum putredo et vermes cadavere incisurarum experte, an tali potiantur, cui culter anatomicus aliquot incisuras intulit, ut non modo de casu praesente, sed etiam de aliis huic similibus edoceamur? Nonne verum illud est: pulvis es, homo, et in pulverem reverteris! Auferas quaeso putredinem! Causam pertinacitatis, quam vulgus hac parte expromit, in doctrina perperam intellecta de resurrectione positam esse, vix crediderim. Nemo unquam docebit, nemo credet, cadaverum tractationem in resurrectionis modum, aut in conditionem, quae resurrectionem sequitur, influere. Resurrectio tantum Dei omnipotentia effici potest. Quae autem ea foret omnipotentia, cujus efficacitas nonnullis cultri anatomici incisuris turbari, vel ad aliam directionem deflecti posset! Profecto aliam Dei notionem profitebimur. Interrogare liceat, quid iis accidat, qui maris undis obruti pereunt piscibusque escam praebent? Nonne multa haec millia Dei omnipotentia pariter resuscitantur, ac ea corpora, quae, cultro intacta, in gelido conduntur sepulcro? Num quis fortasse materiales illius ideas profitetur, qui dicit: sum, qui sum? Quae si ita essent, ubi tandem Iehovae justitia et sanctitas? Blasphemiae haec sunt, Deo enim benignissimo omnipotentiam, sanctitatem, justitiam derogant. Nihil in conditionem animae humanae post mortem influere potest, nisi voluntas libera, qua diem supremum obiit. Mittite igitur pertinaciam in recusandis mortuorum sectionibus, omnia largitote medico, quibus possit edoceri. Medicus equi-

dem ingenue coram populo confiteor, me vitam meam non commissurum esse medico, qui ad sectiones neque invitet, neque eas instituat. Quantum eruditionis enim, si similes aegrotationes in posterum occurrunt, ipsae familiae aut alia societatis humanae membra e sectionibus saepe capiunt! Sectio, cum historia morbi consociata et comparata, solas medicorum rationes contra scriptas sistit, id quod longaevus sectionum forensium usus docet.

Quicunque haec apud se meditatur, eadem, quae facultas christo-catholica Salamancae (a. 1556) de Vesalii operibus et laboribus enuntiabat, profitebitur: christianis catholicis cadavera incidere licet, quippe quod omnino utile sit.

Qui sectiones recusant, sensualitati inserviunt, non rationi obtemperant. Ingrata sensatione, si quis suorum secatur, propterea tentantur, quod finem sublimiorem, praesidia ad tuendam hominum salutem indagandi, animo non reputant. Ratio unicuique officium injungit, omnia faciendi, quibus et propria et aliorum hominum vita servetur, quippe quod unicum sit adminiculum, reverendam dignitatem humanam, in qua summae naturae vires, intellectus et libertatis vis, nec non facultas, aliorum salutem his in terris curandi, insunt, sustentandi. Sensationum suarum ditioni subjectus non amplius sensualitatis est immunis, sed studio, summam a sensualitate, libertatem impetrandi, obnititur, ergo contra ethices leges peccat. Sola rationis consilia normam exhibeant oportet, sensualitatis tantum catenus, quatenus idonea

subsidia ad perpetranda rationis consilia suppeditant. Num cadaverum sectio consiliis litterariis, num summo rationis officio, aut derivatis et remotioribus officiis repugnat? Videamus!

Tam summum rationis officium, quam officium inde derivatum et remotius, quae philosophia moralis perhibet, hic apponam:

I. Dignitatem humanam et tuam et aliorum sinceram repraesentare et servare studeas. — Ex hoc jam alterum consequitur officium:

II. Quaecunque praesidia ad repraesentandam et servandam tuam aliorumque dignitatem humanam adhibeas. Quum praesidiorum usus notitiam eorum supponat, hoc officium pro derivato habendum est:

III. Omni utaris intellectu et experientia, omni cognitione, et tua ipsius et aliorum hominum, ut necessaria detegas praesidia; a l i e n a quidem cognitione eam ob rem, quoniam alii saepe noverunt, quod tibi incognitum est.

Vita autem, quadantenus etiam corporis valetudo, et omnia quae ad externam salutem pertinent, inter gravissima praesidia externa referenda sunt, quibus humana dignitas et nostra et aliorum fovetur. Proinde hoc officium derivatum sed remotius est.

IV. Quaecunque tibi in promtu sunt et dignitatem humanam non offendunt, administres subsidia ad t u e n d a m vitam, ad servandam et r e c u p e r a n d a m v a l e t u d i n e m et salutem externam, et tuam et aliorum. Ergo

A. Ad consequendum h u n c f i n e m, quoad opus

est et dignitatem humanam non offendit, omni intellectu et experientia, omnibus adminiculis has suppeditantibus, generatim omni cognitione, et tua et aliena, utaris.

B. Eundem ad finem, quoad fieri et cum dignitate humana conciliari potest, omnes corporis vires, omnia vitae bona, et tua et aliena ad usum liberum tibi commissa, adhibeas. Si quid ego hic judico, cadaverum sectiones ad impetrandam majorem cognitionem et experientiam, ad tuendam et recuperandam hominum salutem, rationis officiis minime repugnare confiteor; imo potius rationem eas imperare existimo. Mortuorum sectionibus dignitas humana haud destruitur, quippe quae a cadaveribus absit, aliorum autem hominum dignitas illis incisionibus offendi nequit.

Neque secundo officio mortuorum sectio repugnat, quia subsidio haud vetito utimur ad obtinendam cognitionem experientiamque ampliorem, quibus corporis valetudo servetur et recuperetur, quae conditio inter primarias est, ut nostram et aliorum dignitatem humanam repraesentemus atque tueamur.

Secundum officium, omnia, quibus opus est, praesidia adhibendi, nos obstringit, ut sectiones instituamus et institui patiamur. Tertium quoque officium cadavera secare his verbis nos jubet: omni intellectu et experientia, omni cognitione, tam propria quam aliena, ad invenienda debita subsidia utaris. Quartum denique officium hisce verbis disertis ad mortuorum sectiones invitat; quaecunque tibi in promtu sunt et dignitatem humanam non offendunt, ad tuendam vitam, ad

servandam et recuperandam corporis valetudinem et externam salutem, tam tuam quam aliorum, administres praesidia. Atqui sectiones majorum cognitionem et experientiam suppeditant, ergo ratione imperantur. Totum genus humanum officio, eas instituendi, nos obstringit. Qui sectiones recusat, rationem et humanitatem offendit. Medici, qui ab iis lubenter abstinent, sive inertia sive negligentia ducti, vel studium ipsos deficere, hominum salutem et litterarum incrementa augendi et cognitionem suam amplificandi, vel adminicula ipsis incognita esse, demonstrant. Tales medici, si fastu et arrogantia inflati et omnia sese scire persuasum habentes, hoc supremum officium negligunt, misericordia digni sunt, nesciunt enim, quid medico opus sit et aegrotos, a quibus consuluntur, exitio saepe tradunt; fiducia in ipsis collocata digni non sunt et equidem nunquam eos in auxilium vocari suaserim. Cui vera eruditio cordi est, is aegrius feret, sectionem quam sostrum recusari. Adversariorum anatomiae pathologicae verba referam: „Studiis nostris anatomicis et physiologicis multiplice experientia firmoque judicio imbuti, morbi imaginem nobis concinnare possumus." Heu qualem! Nesciunt, quia fallaciae ado exspertes sese existimant, ut operae pretium non habeant, in cadavere sciscitari, an morbi diagnosis vero consentanea et curatio rationalis fuerit. Quanta anatomiae pathologicae dignitas quod ad diagnosin, prognosin et therapiam sit et fuerit, quantumque uniuscujusque sit officium, cadaverum sectiones adjuvandi et sublevandi, cum hac opusculi mei parte serius lingua germanica evulgabo.

VITA.

Natus ego sum Joannes Leonardus Lamby die XXIV M. Augusi A. MDCCCXVI, in vico Wiesmes haud procul a Malmedy urbe, in territorio provinciali Aquisgranensi, patre Leonardo, mercatore, matre Barbara e gente Pieth, fidei catholicae addictis, quam et ego confiteor. Matrem dura mors mihi abstulit, patrem adhuc vivum veneror. Parentes id maxime curantes, ut proles ingenii et mentis cultu imbueretur, postquam ad vitae annum undecimum urbis pagi patriae scholam elementarem, quae etiamnunc laudabilis habetur, frequentassem, et ad sacram coenam a sacerdote venerando mihique semper carissimo Paquay primum admissus essem, ad urbem Malmedy me dimiserunt, ut majore exornarer cultu. Postea, discendae linguae germanicae operam impendens, in schola fratrum Schuhmacher Coloniae Agrippinae ad vitam mercatoriam me praeparavi. Anno MDCCCXXXI in patris negotium introductus per triennium ei operam dicavi, vita tamen mercatoria haud delectatus studia theologica amplecti

gestivi. Pater, cognito voto, quod equidem, liberorum sex natu maximus, haud enuntiaveram, ne patrem subsidio privarem, gymnasium Marcodurenense adire mihi permisit, quod tunc temporis Directore venerando et erudito Meyer, nunc beato, floruit. Anno septimo quum Director Meiring huic gymnasio praerat, maturitatis testimonium adeptus, primitivum consilium haud dimisi eo tempore, quo fraus et dolus ad evertendum Hermesianismum, insidiis adhuc circumvallatum, qui nihil mehercle nisi purissimum catholicismum, sed forma rationali indutum exhibet, arma consociabant. Multi sacerdotes calumnias improbissimas in eum congesserunt; Hermesianos esse rationalistas, qui regiam revelationis viam reliquerint et doctrinas suspectas tradant, clamaverunt. Metuens, ne prava praeceptorum male famatorum principia imbiberem, litterarum universitatem Monasteriensem adeundi votum suscepi, cui autem pater carissimus haud satisfecit. Si cursus, inquit, gymnasticus te facultate haud impertivit, fas et nefas distinguendi bonaque amplectendi, domi maneto! Haud paucis praejudiciis aliorum auctorum obrutus Bonnam concessi, ubi scholas Professorum Braun et Achterfeldt, quibus factio quaedam inhonesta haeresin tum exprobravit, audiendi necessitas absoluta me coëgit. Attentio mea doctrinas haereticas, rationalisticas venabatur, quas illi tradere dicebantur; sed nullas earum realitates ab initio ad finem deprehendi. Uterque virorum fidem catholicam purissimam, qualis a venerando Paquay ad coenam sacram me praeparante, nec non in gymnasio

Marcodurenensi a praeceptore Elvenich, proh dolor aditu difficiliore, mihi tradita erat, docuerunt, omnia autem rationis legibus et argumentis a revelatione Christi desumtis multo firmius stabiliverunt. Professores Hilgers et Vogelsang, etsi Hermesiani, tam orthodoxas, non hyperorthodoxas doctrinas tradiderunt, quae tunc temporis optabantur. Si quis doctrinas a praeceptoribus venerandis acceptas foras projicere me jussisset, scientiae theologicae, quam mecum apportaveram, nihil mihi restitisset. Non sine animi gaudio expertus sum, de charactere et doctrina virorum tam honestorum perperam me judicasse. Professores Braun et Achterfeld hodie etiam a ministerio se suspendi, quam, repudiata persuasione, jussu Archiepiscopi magis pervicacis quam prudentis contra praeceptorem integerrimum Hermesium mendacii se reos reddere malunt. Deo gratias! Ambo heroes, qui Pauli more de rationis necessitate in theologia sibi persuadere eamque profiteri, quam illecrebris materialibus parere maluerunt, defensionem praeceptoris Hermesii, quem quotidiana consuetudine usque ad mortem eheu! praematuram noverant, et doctrinarum ejus sublimium honorificentissime gesserunt. Non potui, quin illos praeceptores, quorum in docendo perspicuitas et evidentia omnium desideriis satisfacerent, summo amplecterer amore, calumnias, quibus notabantur, contemnerem et calumniatores misericordia dignos judicarem. Non sine luctu multos vidi, qui, illo turbati fanatismo, de vero ancipites haerere coeperunt. Ne unum quidem commilitonum meorum

novi, qui, doctrinam Professorum Braun et Achterfeldt ecclesiae catholicae dogmatibus repugnare, existimaverit et demonstraverit. Multi, rei scrutatione supersedentes, editas calumnias tanquam veras diffamabant; alii nihil viris illis sincerrimis exprobrabant, nisi pietatem Archiepiscopo et Pontifici maximo, quem inimici mendaciis irretiverant, derogatam, cui pietati ut sincerrimam veritatem persuasione impetratam coeca obedientia ducti immolarent, exigebatur; alii denique tacuerunt. Viri strenui et fortes, Braun et Achterfeldt, veritatem praetulerunt mendacio, commoda terrestria pollicenti, et rebus in facto positis genuinos Hermesii discipulos sese professi sunt.

Naturae scientiarum amore incensus has quoque scholas frequentavi, ut viderem, num refutationes doctrinae de revelatione, quas viri docti in iis inveniri tradiderunt, revera inessent, nec ne. Ingenue fateor, me ex lectionibus Professorum Treviranus de botanice et plantarum ordine, Goldfuss de zoologia et mammalium historia naturali, Bischof de chemia analytica experimentali et organica, Noeggerath de mineralogia, Pluecker de physice experimentali, et aliorum praeceptorum demonstrationibus, magna perspicuitate insignibus, nihil desumere potuisse, quod christianam revelationem, qualem ecclesia catholica docet, impossibilem aut mendacem esse, mihi persuaserit. To quid phaenomenorum ad certum quidem gradum usque intellexi, *το* quomodo autem semper intelligere non potui. Postremo, si nulla amplius causa aut ratio

inveniebatur et ultima ratio Professoribus ipsis, quanquam ejus necessitatem agnoscebant, haud conspicua erat, vim naturae in medium protulerunt, quam Deum in philosophica Hermesii introductione ex lege rationali causae sufficientis quod ad existentiam demonstratum et necessitate agnitum, creatorem nempe absolutum, benignum, sanctum, potentem, de quo jam dudum, persuasione et auctoritate praeceptorum meorum, deinde cognitione, quam ipse obtinueram, suffultus persuasum mihi habueram. — Saepe mecum reputavi, naturam multa offerre miracula, quae nobis innotuerint et a viris doctis pro re in facto posita habeantur, quae autem quomodo? intelligere nequeamus. Hominum scientia manca est et magna indiget perfectione.

In studiosorum numerum relatus Bonnae disserentem audivi de logice et psychologiae Dr. Volkmuth, cujus abstractio transcendentalis et meum et multorum commilitonum captum superavit. Explicationem rogans responsum tuli, hanc praeberi non posse, quoniam omnia quam clarissime exposita sint! Ad interpretandas notiones, quibus Dr. V. utebatur, animum meum ad metaphysicen suam attendit, quam cupide appetebam, ut de ejus psychologia lucis aliquid mihi affulgeret. Metaphysice ejus et religionis philosophia nihil fuerunt, nisi labyrinthus tenebrosus datorum criticorum ex historia philosophiae, quae gasis azotici instar lucem restinguere valuerunt. Quum ergo nemo eum intelligeret, auditorum numerus tandem ad septem diminuebatur.

Unde vero haec? Non amplius esse voluit Hermesianismi cultor, sed relicta veritatis via, discipulos ad sublimiores sphaeras evehere studuit, in quibus vertigo periculosa iis potita esset. Duce Hermes omnibus phantasiae somniis valedicere et realia sequi malo. Philosophiae amor tunc temporis me plane deseruerat.

Eodem semestri lectiones dilucidas Profess. Achterfeldt de encyclopaedia theologiae catholicae, et Profess. Scholz de introductione in vetus testamentum, adii. Scholae Profess. Scholz, animum parum oblectantes, auditorum attentionem magis sopiebant, quam excitabant, quo factum est, ut ex triginta commilitonibus, qui initio iis interfuerunt, modo duodecim, nec semper quidem omnes, per intervalla ad auditorium accederent. Serius apud Profess. Scholz archaeologiam veteris testamenti et exegesin quatuor librorum Mosis eodem successu audivi. Scholas Profess. Achterfeldt de theologia morali, e quibus judicium meum consummare licuisset, frequentare non potui, quoniam vir reverendus a cathedra prohibebatur. Encyclopaedia studiosis tironibus tradita praeceptori apportunitatem haud obtulit, totam illorum attentionem alendi, quanquam mea, quod confiteor, sustentabatur. Scholae Profess. Achterfeldt ethico-theologicae nonullis satisfecerunt. Lectiones Professorum Mayer et Weber de anatomia universa et demonstrationes Prof. Mayer, quas, ut ipsi illi viri testabantur, continuo et diligentissime frequentavi, parum utilitatis mihi tulerunt, id quod omnes fere auditores tunc conquerebantur. Scho-

lae Profess. Harless de encyclopaedia et methodologia medicinae mihi non displicuerunt. Lectiones Profess. Nasse de physiologia, anthropologia, serius de morbis psychicis, therapia generali, pathologia speciali et therapia, nec non de legibus vitae organicae, attentionem meam aeque ac multorum commilitonum tam argumento quam forma alebant, auditorum enim numerus semper admodum frequens erat.

Secundo studiorum meorum semestri aestivo (a. 1842) Hermesianismi adversarii conquieturi videbantur, quamobrem fore sperabam, ut controversia mox componeretur. Scholas Licentiati Friedlieb de introductione in novum testamentum et per sextum semestre ejusdem interpretationes vaticiniorum Jesaiae audivi. Diligentia et assiduitas hujus viri egregii admodum laudabiles fuerunt; expositio non omni ex parte satisfecit. Generatim maxime est dolendum, novissimis hisce annis praeceptores, inprimis juniores, expositioni elegantiori et perspicuae non satis operae impendere; haec enim discipulorum studia non mediocriter sublevat. Non satis est discipulo, ut praeceptorem habeat quam doctissimum, sed praeceptori inesse oportet facultatem, clare et perspicue omnia tradendi suamque scientiam quam facillime cum discipulis communicandi. Secundo semestri non sine diffidentia quadam, quam adversarii praeceptoris ejus Hermes excitaverant, apud Profess. integerrimum et maxime venerandum Braun interpretationes evangelii Joannis et primam historiae ecclesiasticae partem audivi. Quanta hoc in viro erudito

fuit perspicuitas, quanta evidentia! Difficillima quaeque analogiis aptis e vita communi desumtis illustrare et captui accommodare calluit. Vox, etsi non sonora, tamen ab omnibus percipiebatur. Cujusque epochae res primarias ideasque principes accuratissime exposuit, quibuscum omnia reliqua consociavit, quae hanc ob rem facillime, et nexu quidem psychologico, intelligebantur. Me nullas hujus viri, cujus memoriam pie semper servabo, scholas frequentasse, quin multa didicerim animumque meum recreaverim, ingenue fateor. Quantum studiorum incitamentum illae fuerunt lectiones! Quodque arduum, sive philosophicum sive philologicum, solerti et critico hoc ingenio superabantur, quod magnum in detrimentum dioeceseos Coloniensis praemature juventuti theologicae ereptum est. Utinam etiamnunc ejus scholis et conversationibus interesse possem! Quidquid vir hicce doctus, injustis persecutionibus tentatus, scribit, sententiam meam confirmat. Quantopere culpandi sunt, qui talem virum, nullo alio sarciendum, quod equidem credo, a cathedra depelli curaverunt; etenim si probi et sinceri essent, facile de Hermesianorum orthodoxia sibi persuadere et hosce praeceptores, tam verbo quam facto veros theologos, studiosae juventuti reddere potuissent. Utrum fieri potuit, ut horum virorum defensio, sive ab ipsis, sive eorum sodali Prof. Elvenich, Vratislaviensi, sive causae patrono Stupp, Coloniensi, gesta, mendacii argueretur? an mentem suam verbis doctis ambiguis occultarunt? num eorum interpretationes propter subtiles distinctiones

et argutias dialecticas, quibus restrictio mentalis involvebatur, ancipites fuerunt? Quum omnia scripta in utramque partem disputantia, quae impetrare potui, legerim et intellexerim, persuasum mihi esse per Deum testor, interpretationum ab illis viris editarum contrariam esse indolem. Quae ipse inveni, multi alii, tam profani quam sacerdotes, invenerunt. Ne unus quidem convincere me potuit, Hermesianismum ab ecclesiae doctrina discrepare et Professoribus Braun et Achterfeldt culpae aliquid irrogandum esse. Beat. Bolzano, Profess. Pragensis, aliquoties mihi narravit, se integerrimos illos Hermesii vindices et discipulos maxima veneratione prosequi. Ne in operibus quidem Hermesii haeresin deprehendit, quanquam recensionem criticam introductionis philosophicae scripsit, qua respectu philosophiae cum eo non consentit; verbis autem nunquam me refutavit. Hermesii verba verissima veneror. Multi hunc virum nonnisi e condemnationis decreto noverunt, quodsi ad ipsam doctrinam animum appulimus, ita docendum esse, confessi sunt. Oratores praestantissimi, quorum haud multi Pragae fuerunt, ut collegii canonicorum sodalis Diettrich, saepe in cathedra sacra doctrinas de Deo etc. tradiderunt, quas Hermes in Schismaticorum ne dicam haereticorum quoad ejus libros numero habitus tradiderat. Herbipoli idem comperi orationibus sacris Professor. Schwab ab omnibus dilecti. Ne hic quidem argumentari potuit, Hermesianos jure a cathedra esse depulsos, nam pse hoc persuasum non habuit. Ubique Professoribus

Braun et Achterfeldt debitus honor habebatur. Imo Monachiae et in tota Bavaria, unde fanatismus non una sagitta Hermesianorum caput percussit, quae tamen energiae expers effectu destituebatur, multi dubitarunt, systema Hermesii, quod iis exposueram, revera libris ejus contineri, quare eos rogavi, ut Hermesii opera legerent et mendacii me arguerent. Paucissimi enim Hermesii opera omnia, pauci introductionem ejus philosophicam legerant. Coecam repudians fidem ubicunque me erudiendum curavi. Multi placitis meis theologicis assenserunt et, ne theologiae valedicerem, suaserunt; quin adeo nonnulli nimis strenuum me censuerunt. Sacerdos, qui naturae scrutator habebatur et disputandi peritus erat, Hermesio primum refragatus attamen confessus est, theologiam non rationalisticam, sed rationalem, i. e. vel ratione vel revelatione Christi, vel utraque comprobatam, non rationi contrariam esse debere. Quantum miratus sum, quum idem sacerdos, genus humanum a pluribus paribus originem ducere oportere, enuntiaret! Talia Hermesianismi adversarius protulit. Refutatis argumentis, quibus hominum ortus a pluribus paribus defendi solet, alia argumenta addidi, originem ab uno pari vindicantia. Animum ejus attendi ad sequelas, ex tali sententia, quam nunquam apud sacerdotem catholicum inveneram, in ecclesiae catholicae doctrinam redundantes.

Tertio semestri scholas Profess. Braun mihi jam dilectissimi de secunda historiae ecclesiasticae parte, de jure ecclesiastico et de Pauli epistola ad Galatas eodem

cum successu et oblectatione audivi. Persuasio jam prius impetrata de Profess. Braun et Achterfeldt catholicitate magis mihi confirmata erat. Semestri aestivo a. 1843 proh dolor lectionibus Hermesianorum praestantissimis non amplius interesse potui, nam inimicorum potestate et absoluto Archiepiscopi imperio nobis eripiebantur. Quanta culpa, ita saepe mecum cogitavi, Archiepiscopus iste conscientiam suam obruit! Nonne ipse, ab omni partium studio alienus, eorum libros exacte percontari et examinare debebat? Nonne persuasionem obtinere potuisset, quam equidem saepe, hominum salutem lacrymantibus oculis meditans, obtinui? Ex positiva in theologiam introductione concludere potuisset, Hermesium revelationis viam regiam non deseruisse, eundem probe rationalem, non rationalisticum esse. Quemadmodum unusquisque lector candidus, ita Archiepiscopus mox intellexisset, arrogantiam, fastum, superbiam neque inter Hermesii attributa pertinere, neque ejus opera hominibus eadem attributa inserere, summa enim modestia, veritatis amore consociata, ex omnibus ejus scriptis elucet. Archiepiscopus, re explorata, summo tenebatur officio, vera profitendi, ac dirimendi, an Hermesii scripta errores, in decreto a. 1835 enumeratos, contineant nec ne, porro in qua parte, qua pagina, quonam nexu legantur, utrum analogi inveniantur loci, numne horum locorum interpretatio detur? Cui officio Archiepiscopus ad hodiernum diem, quod equidem scio, haud satisfecit. Coram Deo hominibusque reus est et nulla in coelo terrisque potestas culpae

absolvere eum potest, nisi id curet, ut viris Christi vineam secum colentibus satisfiat. Confessio, satisfactio et poenitentia cum contritione tam Archiepiscopo quam profanis solae sunt conditiones ad impetrandam peccatorum veniam. Et Paulus et ratio nos edocent, coram justo sanctoque Deo personae auctoritatem nihili fieri. Mitra et pedum episcopale nefas mutare nequeunt in fas. Quid fecit Archiepiscopus?

Semestri aestivo a. 1842 apud Prof. Hilgers archaeologiam christianam, semestri hiberno apud eundem patrologiam, aestivo semestri a. 1843 tertiam historiae ecclesiasticae partem, multo minore autem cum oblectatione, quam apud Prof. Braun, audivi. Semestri hiberno a. $184^{3}/_{4}$ ejusdem scholas de catechetice et aestivo semestri de symbolice frequentavi. Prof. Hilgers dictione oratoria, expositione succincta, voce sonora excelluit, scholae autem paucae nimisque breves fuerunt. Quod ad historiam ecclesiasticam attinet, minime, ut Prof. Braun, variarum temporis epocharum, quibus res gestae evenerant, characterem ob oculos ponere nexumque pragmaticum eorum, quae gesta erant, illustrare potuit. Hunc praeceptorem impense dilexi et adhuc diligo; eruditio ejus dogmatica et philosophica animum meum allexit. Veri amantissimus et studiosissimus esse, alia tamen haud curare videbatur; liberalitati magnopere indulsit; saepe eum contemplatus sum tanquam truncum solidum, firmum, inter laetissima incrementa percussum; sors ejus nunquam non cordi mihi fuit, etenim praeceptor et

sacerdos reprehensionis expers tam altare quam cathedram ornavit, quare ab omnibus diligebatur.

Anno 1843, quum ultimis Hermesianismus plagis caederetur, aestivo semestri miratus sum, quod Professores Hilgers et Vogelsang, suspensis Braun et Achterfeldt, lectiones habuerunt. Ne hodie quidem explicare hoc possum; num ambo decreto, a. 1835 contra Hermes emisso temere subscripserant, quod, verum offendens, praeceptorem horum praeceptorum (Hilgers et Vogelsang), cujus consuetudine usi erant, cujus introductionem philosophicam Prof. Hilgers tradiderat, graviter criminabatur? Nonne cum restrictione mentali fortasse decreto illi subscripserunt? Multa ejusmodi animo mecum reputavi. Fore sperabam, ut dicti Professores causam, quod docere pergerent et rationem, quam alerent cum Hermesianismo, divulgarent, quod quidem, ut scio, factum non est. Haud dubie aliquid egerunt, quod Profess. Braun et Achterfeldt sincera mente agendum non putabant, vel Archiepiscopus Professores modo dictos adhuc injuste persecutus est; sed cur? Causa adfuerit necesse est, quod duo praeceptores, Hilgers et Vogelsang, qui anno adhuc 1842 et 1843 disciplinas (dogmaticen, ethicen, symbolicen etc.) tradiderunt, quibus facilius Hermesianismi aliquid admisceri poterat, quam historiae ecclesiasticae Profess. Braun, servarentur, Braun vero et Achterfeldt suspenderentur; porro quod viri, qui eadem docuerant et persuasione ducti contra mendaces et dolosas domini Windischmanni relationes Romam missas, qui medicus forensem senten-

tiam de Hermesio tulerat, defenderant, vario modo tractarentur. Utrum illa causa sincera et justa sit, humanae dignitati et Dei sanctitati consentanea, mehercle nescio, vix tamen crediderim.

Num Profess. Hilgers et Vogelsang decreto a. 1735 edito subscripserunt, aut simile quid fecerunt, num forte eorum affirmatio huic decreti loco ansam praebuit? „Ad augendas, quibus die noctuque ob id premimur, angustias, illud etiam calamitosissimum ac summopere deplorandum accedit, quod inter eos, qui pro religione editis operibus certant, nonnulli simulate se intrudere audeant, qui similiter pro eadem videri volunt et ostentant se dimicare, ut retenta religionis specie, veritate autem despecta, facilius possint per philosophiam, seu per vanas eorum philosophicas commentationes et inanem fallaciam incautos seducere atque pervertere, hinc et populos decipere fidentiusque inimicis palam saevientibus adjutrices porrigere manus. Quapropter, ut nobis impiae et insidiosae quorundam horum scriptorum molitiones innotuerunt, non distulimus, per nostras encyclicas aliasque apostolicas litteras callida eorum et prava denunciare consilia erroresque damnare, simul et exitiales patefacere fraudes, quibus divinam constitutionem et ecclesiasticam disciplinam, imo et totum ipsum publicum ordinem funditus evertere vaferrime intendunt. Et quidem tristissimo facto comprobatum est, eos deposito tandem simulationis velo, perduellionis vexillum contra quamcunque a Deo constitutam pote-

statem alte jam extulisse; verum non haec sola subest gravissima lugendi causa. —

Praeter enim eos, qui omnium catholicorum scandalo se perduellibus devoverunt, ad amaritudinum nostrarum cumulum in theologicum etiam stadium prodire videmus, qui novitatis cupidine et aestu semper discentes (hoc non est vitium) et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, magistri existunt erroris (?), quia, veritatis discipuli non fuerunt (!?). Peregrinis quippe improbandisque doctrinis sacra ipsi inficiunt studia et publicum etiam, si quod tenent in scholis et academiis, docendi magisterium profanare non dubitant, ipsumque, quod tueri se jactant, sacratissimum adulterare dignoscuntur fidei depositum. Atque inter hujusmodi erroris magistros ex constante et fere communi per Germaniam fama adnumeratur Georgius Hermes, utpote qui audacter a regio, quem universa traditio et S. S. patres in exponendis et vindicandis fidei veritatibus tramitem stravere, deflectens, quin et superbe (!) contemnens et damnans, tenebrosam ad errorem omnigenum viam moliatur in dubio positivo (?) tanquam basi omnis theologicae inquisitionis, et in principio, quod statuit, rationem principem normam ac unicum (?) medium esse, quo homo assequi possit supranaturalium veritatum cognitionem".

Dilectissimi Professores Hilgers et Vogelsang, qui certe saepius opera illa pertractastis, qui una cum

Hermesio vixistis et egistis, num huncce virum revera ita sensisse et egisse invenistis? Quod si ita esset, vix majorem simulatorem, impostorem, hominem Hermesio praviorem unquam exstitisse, arbitrabor. Num Brevi subscribere, aut simul quid exhibere potestis, quod talium proclamationum aetatem prolonget?

Quod si potestis, facto participes estis accusationum in Hermesium collatarum. Si mens et conscientia vestra cum his non consentit, vosmet ipsos mendacii arguitis et reliquis hominibus offendiculo estis. Quodsi, Praeceptores Dilectissimi, Hermesium ita sensisse et egisse cognovistis, ut Breve arguit, mihi aliisque Hermesianis hoc confiteamini, hoc enim nobis et mihi inprimis, discipulo vestro, hoc debetis. Quod olim docuistis, estne falsum?

Omnibus Hermesii operibus saepius et sollicite pertractatis atque intellectis, nec non iis, quae in utramque partem edita sunt, certo mihi persuasi, ne unam quidem criminationem aut libros aut characterem Hermesii attingere. E scriptis suis Hermesium virum verecundum atque veritatis amantissimum existimo. Modus, quo Hermes dogmata catholica confirmabat, summum beneficium mihi apparuit. Opera Hermesii christianismi catholici veritatem tam firmiter mihi persuaserunt, ut eum ne desererem quidem, si Praepositi omnes et Episcopi ei valedicerent. Dubitationes meae in rebus theologicis diremtae sunt, fides mea non amplius a singulis ecclesiae ministris, sed ab ecclesia

objectiva, qua tali, pendet. Fidem habete, praeceptores dilectissimi, sinceritati discipuli vestri, qui haec profitetur: lacrymae dolore excitatae saepe ex oculis stillabant meis, si theologiae studio in Hermesii libris indulgebam; non sine animi moerore Vestrum memor eram, eo magis, quod Vos diligo.

Saepe mihi persuasi, quam maxime opus esse, ut theologia tam rationali modo tradatur. Eruditionis via, non obstupefactio aut phantasia sensationum potentiam excitans, ad solidam fidem nos perducit. Credite, praeceptores carissimi! saepe expertus sum, permultos, desipiente et irrationali sacerdotum agendi ratione coactos, ecclesiam deseruisse. Hermesii docendi methodo omnes assenserunt sibique persuaserunt, catholicismum nihil a ratione alienum continere. Tempus est, praeceptores dilectissimi, rationalia docendi, i. e. omnia, quae docentur, aut ratione, aut certa Christi revelatione, aut utraque confirmandi, nunquam vero argumentis rationi a Deo nobis insitae contrariis utendi, alias enim vera fides, inprimis nostro tempore, populos plane deseret, id quod omni populo miserrimum esse opinor. Sola Hermesii docendi methodus nostro aevo consentanea mihi videtur. Num vera illa sunt, Professores dilectissimi: „quae omnia sedulo et consideratissime praestiterunt atque cum jam vulgata fama inveniuntur omnino concordes?“ Haud latius epicrisin extendam.

Semestri hiberno a. 184$^{2}/_{3}$ apud Prof. Vogelsang primam dogmatices partem, interpretationem evangelii

Matthaei et cognoscendi principia ecclesiae catholicae, semestri aestivo a. 1843 apud eundem dogmatices partem secundam, aestivo semestri a. 1844 doctrinam de sacramentis audivi. Praeceptor omnia bene illustravit et neque expositio neque materies mihi displicuerunt. Sin Hermesii doctrina repudiatur, haec quoque repudianda sunt. Si Hermesii operum argumentum diffiteor, id quod a conscientia mea abhorret, ipsam religionem christianam diffiteor.

Semestri aestivo, quum Profess. Braun et Achterfeldt violenter suspensi et Prof. Dieringer, quem Facultas, ut equidem scio, non vocaverat, in eorum locum substitutus esset, apud hunc, ut ejus docendi methodum comperirem, primam dogmatices partem iterum audivi; semestri hiberno a. $184^{3}/_{4}$ ejusdem scholas de secunda ethices parte, de historia concilii Tridentini, de poenitentia, adii. In hujus viri lectionibus ne vestigium quidem logices deprehendi, verbaque ejus sonora, apodictice et temere protrusa, nihil mihi persuadere potuerunt. Argumentum hebes fuit, etsi oratorio decore traditum, id quod multis placuit. Virtutem meam scholis ejus unquam adjutam aut fidem confirmatam esse, haud dixerim. Me judice istae lectiones ad educandos theologos integros et strenuos idoneae non fuerunt, quanquam praeceptor sensus obruere studuit. Sola cognitio perennes sensationes evocare et a sensualitatis potentia certo tueri potest. In scholis dogmaticis neque de existentia Dei, neque de ejus attributis disseruit; quantam fecerim jacturam suspenso

Prof. Braun, tum intellexi. Neque in cathedra sacra neque in academica ingens vociferatio et gestus theatrales alicui persuadent, sed tantum argumenta cum dignitate prolata. Sensationes, quae cognitione haud confirmata nituntur, per momenta tantum afficiunt et mens iis superstructa mox evanescit, si imaginationis exaltatio desinit, aut si sensualis excitatio nova priorem depellit. Utinam omnes praeceptores hoc agnoscant eique obtemperent!

Semestri aestivo a. 1842 apud Prof. a Schlegel historiam artium liberalium audivi, quae fragmenta singula de schola Italica exhibuit. Semestri aestivo a. 1843 scholas Profess. Delbrück, viri integerrimi maximeque venerandi, de jure naturae cum successu frequentavi.

Anno 1843 consilium meum theologiae me addicendi eo labefactabatur, quod praeceptores dilectissimi temere et sine judicio clericorum a docendi magisterio suspendebantur. Quum consilium primitivum, hominum miserorum saluti succurrendi, dimittere nollem, arti medicae operam impendere apud animum meum constitui. Laetatus igitur sum, quod scholas in scientiam medicam introducentes, nec non lectiones Prof. Bischoff de materia medica jam audiveram. Eodem anno sagacis Dr. Birnbaum lectiones de necessitudinibus anthropologiae, ethices et paedagogices frequentavi, quae admodum clarae et perspicuae erant; numerus tamen lectionum perexiguus fuit. Resuscitato philosophiae amore, historiam systematum philosophicorum

audivi apud Prof. Brandis, veri amantissimum et omnis doli expertem, meliora non frustra exspectans, quam Prof. Volkmuth obtulerat. Prof. Brandis omnia clare et perspicue exposuit et, ut completa essent, curavit. Auditis ultimis, quae theologis praescribuntur, lectionibus, fore sperans, ut fortasse animo sincero sacerdotium ambire possem, si rei Hermesianae natura vera dilucidaretur, diligentius in medicinam incubui et apud Prof. admodum diligentem Budge pathologiam universam audivi, quam perspicue et exacte secundum leges physiologicas tradidit, etsi dictioni debita alacritas deerat. Ejusdem scholas iterum frequentavi physiologicas, quibus disquisitiones microscopicas et nonnullas vivisectiones adjunxit, quas grato animo accepimus. Eodem anno 1843 summa cum voluptate lectiones obstetricias egregias, forma et argumento insignes, ad medicinae studium inflammantes, Prof. Kilian adii. Verba ejus tam firmiter inhaerebant menti, ut hodie etiam eorum reminiscar. Semestri aestivo a. 1844 laeto animo ad exercitationes circa phantoma instituendas, quas idem sapientissime dirigebat, nec non ad clinicen obstetriciam properavi. Nullo in clinico obstetricio eum inveni ordinem, quem in hoc, nusquam enim gravidae, parturientes et puerperae tantam expertae sunt curam, quanquam exercitationes numerosae, imo numerosiores fuerunt, quam in aliis quibusdam clinicis. Summa etiam cum delectatione scholas egregias de instrumentis obstetriciis audivi. Memoriam hujus viri nulla aetas ex animo meo unquam delebit. Absolutis

studiis theologicis, ad examen subeundum paratus fui, certior autem redditus sum, respectu Hermesii operumque ejus mihi esse subscribendum. Quidnam illud fuerit, nunquam, quod ego scio, evulgatum est. Si nihil praestandum fuisset, quod directe aut indirecte ad agnoscendum Breve spectasset, subscriptione extraordinaria opus non fuisset. Theologiae quidem me devovere, minime autem honorem et conscientiam despondere, in animo fuit. Nomen subscribendum fuit alicui, quod ad Hermesii opera pertinebat, pleno obsequio subscribendum! Bene autem novi, studium horum operum nonnullis clericis, qui libros vetitos legendi veniam appetierant, his verbis: „exceptis Hermesii libris" interdictum esse. Inutile igitur existimavi, talem appetere veniam, etsi nunquam subscripto nomine aliquid probassem, cujus perfectissimam notitiam et persuasionem antea adeptus non essem. Trimestre antequam examen ambire me oportebat, sane de modo ambiguus haesi, quo seminarium et secerdotium attingere possem, nisi, auctoritate innixus hominum minime omniscientium, nomen darem rei, cujus veram persuasionem haud nactus eram. Tale quid ignominiosum esse putavi et etiamnum puto humanae dignitati, a Deo nobis insitae, cujus Archiepiscopi jussus me absolvere non potuisset. Deus haud voluit, hominem pro innata dignitate, quae in vi intellectus et libertatis atque in curanda aliorum hominum salute cernitur, hominis alicujus jussu machinae partes agere factaque persuasioni et rationi contraria perpetrare. Proinde Hermesii opera assidue pertractare et

disquirere decrevi, utrum Breve, a. 1835 conta Hermes ejusque opera emissum, veri aliquid haberet. Opera intellexi, et quanquam loci nonnulli assiduam meditationem exigebant, tamen operae meae pretium feci. Admiratio et indignatio me ceperunt, quum magis magisque mihi persuasissem, Hermesii opera stricte catholica esse, effata, quae in Brevi essent, omni carere realitate, quippe contrarium eorum assererent, quae Hermes doctrina et factis manifestaverat. Errorum in Brevi commemoratorum ne vestigium quidem in ejus libris inveniebatur. An tum quoque meum erat, Brevi subscribere, aut aliquid praestare, quod ei in aliorum perniciem veritatis speciem conciliasset? Hoc quominus facerem, honestas et conscientia me prohibuerunt. Neque peccatorum alienorum et calumniarum in Hermesium collatorum reus esse, neque eas adjuvare volui, quamdiu Deum omniscientem, sanctum, justum crederem.

Quae quum ita essent, re medicinam amplexus sum, etsi studium meum atque mens theologiam non deseruerunt. Quum intellexissem, debitas notitias anatomicas Bonnae conquiri non posse, anno 1344 consentientibus parentibus Herbipolin petii, ubi statim popularis meus d'Outrepont paterna benignitate me excepit. Per biennium ibi moratus apud Prof. Mohr lectiones de anatomia pathologica, nec non de pathologia et therapia speciali frequentavi, quae argumento egregiae, dictione autem monotoniae non expertes erant; expositio omni carebat alacritate; intervalla nunquam obve-

nerunt. Interfui etiam clinicae medicae Prof. Marcus per tria semestria, et quidem haud sine fructu. Dolendum modo erat, quod circa aegrotantium lectulum de momentis historicis casui singulari respondentibus nimium disputabatur, auditores vero ad practicas disquisitiones debito minus invitabantur. Processus physiologici, rationes anatomico-pathologicae vix obiter memorabantur. Clinice magis viris speculationum amantibus quam tironibus accommodata fuit; ceterum Prof. Marcus magnam adhibuit diligentiam. Interfui etiam scholis medici secundarii Dr. Rapp de percussione et auscultatione, quae proh dolor nimis breves fuerunt. Apud Prof. Textor lectiones de chirurgia theoretica, instrumentis chirurgicis, operationibus et acologia audivi, nec non clinicae ejus chirurgicae per tria semestria magna cum voluptate interfui. Practicans clinicen obstetriciam Prof. d'Outrepont, nec non cursum operationum obstetriciarum per integrum semestre frequentavi. Praeceptor omnia perspicua et evidentia reddidit. Multa ibi experientia me docuit, quae humano generi utiliora sunt, quam plurimae illarum methodorum novarum, quae, etsi artificiosissimae, saepe matri aut infanti detrimenta afferunt, aut plane inutiles sunt, e. gr. incisio oris uterini, admodum tensi, super infantis parte folii chartacei instar, quanquam ad thaleri magnitudinem aperti, priusquam remedia incruenta, ut insessus vaporosi, a praeceptore adhibiti plerumque sufficientes, administrentur, id quod Prof. Kiwisch praecipit; resectio capitis, ad sublevandam infantis extractionem; d'Outrepont con-

tra maxime deplorandum censuit, si caput abrumpatur. Nefas semper putavi, ad cultrum properare, naturae vires parvi aestimare iisque praevenire. Quae d'Outrepont hac ratione docuit, etiam Kilian, Prof. Hofmann, tum Herbipolitanus, Prof. Naegele, Heidelbergensis, docuerunt, scilicet naturae vires antevertendas non esse. Obstetricatores juniores in universum operationum nimis cupidos inveni. Tales theorias practicis tironibus implantari, periculosum esse opinor. Ad cultrum properare, ut operatio instituatur loco obscuro, ubi jam forcipis multo magis insontis abusus multa detrimenta peperit, id quod acta forensia et praxis gynaecologica testantur, nefas habeo, quum nunquam prosperiorem ejus effectum, quam remediorum incruentorum, viderim. Defuncto Prof. d'Outrepont, mihi contigit, ut clinicae practicae praeceptoris mei Prof. Hofmann, qui tunc Herbipoli debito minoris aestimabatur, interesse possem, cujus sub auspiciis partus administravi, quorum quinque juxta strenuissimam indicationem forcipe absolvi. Quae exercitationes, junctae cum gravidarum explorationibus inter obstetricum institutionem, quas etiam duce d'Outrepont facere mihi licuit, plurimum utilitatis mihi attulerunt, quod grato animo profiteor. Proh dolor Professori Hofmann accidit, quod multis viris ingeniosis, probis atque fiducia dignis accidere solet, ut temerariis et ignominiosis insectationibus ab ipso d'Outrepont, populari meo, tentaretur. Jam propterea collegis displicuit, quod ab Augustissimo Rege Ludovico precibus, viro docto et litterarum studio

flagrante non indignis, impetraverat, ut magisterium suum adiret. Longe honestius Kilian, quam d'Outrepont, medicum suum secundarium tractavit. Kilian medico secundario ab omnibus discipulis observantiam haberi curavit, d'Outrepont saepe Prof. Hoffmann temere coram discipulis despexit. Argumenta sciscitanti, quibus commotus d'Outrepont collegam tam invidiose insectatus sit, nemo adhuc mihi respondit. Profess. Muenz, quod interposita fide affirmo, et Monachiae et Herbipoli eruditionem et diligentiam Hofmanni laudavit; easdem laudavit Marcus; nemo aliquid reprehensione dignum de eo narrare potuit. Nonne jus Universitatis, praeparata a d'Outrepont in Instituto collecta et asservata sibi vindicandi, salvavit? Num unquam officii sui immemor fuit? Unicuique aperte et sincere persuasioni suae obtemperanti honor et observantia debetur. Nemini jus competit, invidiae et contemtus specimina in virum consociandi, qui hac illave causa aliquid a persuasione sua abhorrere, ergo huic vel illi sententiae se subscribere non posse, profitetur. Quum hisce meis oculis saepe viderim, quam parvi aestimatus, quantopere despectus sit Prof. Hofmann a Praeposito suo, quum auribus meis non raro calumnias audiverim, quas falsas esse, mea ipsius experientia docuerat, non potui, quin majore studio ad aliorum salutem animum adverterem. Amicus Thewalt, cui semper gratam memoriam servabo, primus ad virum generosum, immerito neglectum, me attenderat. Nullam occasionem, qua prodesse posset discipulis, ab eo

praetermitti, intellexi. Frustra popularem meum d'Outrepont cum eo reconciliare studui, desiderio autem ejus, consuetudinem Prof. Hoffmann, cui permulta jam debebam, vitandi, satisfacere non potui.

Die St. Josephi, qui dies fuit onomaticus Profess. d'Outrepont et Hofmann, indignatio permagna animo meo potita est, quod omnes Instituto adscripti gratulabundi ad Praepositum properabant, Hofmannum vero, qui de obstetricum institutione bene meruerat, negligebant. Tametsi optante d'Outrepont invitus consuetudine familiari cum Hofmanno usus non eram, tamen haud potui, quin contra talem contemtum aliquid molirer; in Instituto nimirum eum rogavi, ut gratulationes meas reciperet, quas lubenter recepit, dicens, se haud ignorare, me bene sibi velle, quod quidem vero congruebat. Procedente tempore major inter nos familiaritas orta est, ita quidem, ut Profess. Hofmann non amplius solus praeceptor, qui cum practica Professoris d'Outrepont experientia exactissimam litterarum recentiorum notitiam conjunxit, sed etiam integerrimus et candidissimus mihi sit amicus.

Semestri supra memorato a. $184^5/_6$ omnes magnopere fuimus contenti; imo, quod serius audivi, Professoris Hofmann clinice Monachiae aut Erlangae laudata esse dicitur. Professor a Kiwisch, quem Hofmann ne minimum quidem offenderat, maximum recipit vituperium, quod auditorium in Instituto obstetricio ab hora 3—4, qua nullus eo utebatur, Hofmanno recusavit. Deo gratias ago, quod discesserit a munere,

quo ejus vita periclitari potuisset. Quae modo dixi, veritati me debere fateor.

Utroque semestri subsequente clinicen obstetriciam Prof. a Kiwisch frequentavi duosque partus, quorum unus forcipe perficiebatur, administravi; praeterea ejusdem scholis de arte obstetricia et gynaecologia interfui, quarum posteriores praecipue animum meum alliciebant saneque novi aliquid tradebant. Cum discipulis grata utebatur consuetuetudine, ab omnibus superbiae notis aliena. Pelvimetrum ab eo inventum, quod tunc experimenti causa frequenter administrabatur, haud magis quam reliqua, ut opinor, scopo praefixo satisfaciet. Secundo semestri anatomiam universam apud Prof. Münz audivi eoque et Prosect. Stebold ducibus cadavera secui. Hae scholae plane mihi satisfecerunt. Sperans, fore ut controversia Hermesiana mox dirimatur, primam historiae ecclesiasticae partem apud Prof. Schwab, qui praeceptoris partes perbene agebat, audivi. Adii quoque de chemia medica scholas Prof. Scheerer, cujus clara expositio ac diligentia laude dignae sunt. Porro scholas frequentavi Prof. Adelmann ophthalmiatricas, junctas cum exercitationibus ad dignoscendos oculorum morbos; eheu! multa impedimenta huic Prof. obtrudebantur.

Exspectando tandem fatigatus, at spe non destitutus, prae omnibus studia medica absolvendi consilium cepi et litterarum universitatem Pragensem, a Profess. Kiwisch summis laudibus ornatam, grato in familias Weingärtner et Brendel animo, petii;

me hac de causa Professori Kiwisch non mediocri officio obstrictum esse, fateor.

Pragenses me pariter, atque omnes commilitones externos, egregie exceperunt; tantam amicitiam tantamque benevolentiam, sive consuetudinem sive studia spectes, in me consociaverunt, quantam antea nusquam, ut elinicen obstetriciam Prof. Hofmann excipiam, expertus eram. Quamprimum adveneram, rogante domino protomedico consiliarius aulicus a Nadherny summa cum humanitate mihi subvenit, ut omnia, ad quae animum attendere vellem, optime noscerem et disponerem. Supremae horae, quas, familiaritate ejus usus, praeceptoribus et amicis cinctus, Pragae vixi, nunquam memoriam meam effugient. Haud minus benigne Prof. Opolzer me excepit, cujus eruditionem litterariam, ingenii acumen et scientiae omnigenae copiam nemo non admirabatur. Amabilitate sua omnes allexit, disquisitiones medicas, postpositis omnibus vitae oblectationibus, strenue exegit; quaecunque circa aegrotantium lectulos egit, auditores erudiverunt. Humanitas erga aegrotantes, diligentia in eruenda anamnesi, certitudo in constituenda diagnosi, therapia vere rationalis, sedulitas in secandis cadaveribus, cum summa veracitate, ut paucis dicam, tota ejus sese gerendi ratio, ab omni privatae utilitatis studio aliena, maximam hujus viri venerationem imperabant. Cum discipulis paterna utebatur consuetudine. Quae docuit, auditoribus ostendit; auscultationem, percussionem, palpationem, aegrotis quam plurimum parcens, promtissime instituere docuit. Per-

sonae auctoritas coram eo nulla fuit. Quanquam facillime symptomata animo perspexit et explicuit, tamen assiduitas ejus exemplo, quod sequar, mihi erit et nunquam grata ejus memoria me deficiet. O dilecte praeceptor! perennes Tibi solvo gratias, nec non omnibus Tuis collegis Pragensibus, quibus ego et commilitones quam plurima debemus. Clinice medica et scholae Prof. Jatsch, clinice chirurgica et scholae Prof. Pytha, clinice ophthalmiatrica et scholae Prof. Arlt, Sectio syphilitica Prof. Waller, demonstrationes chirurgico-anatomicae Prof. a Patruban, scholae Prof. Popel de medicina forensi cum sectionibus et discendi materiem et institutionem sine ulla privata utilitate obtulerunt, quam alibi vix reperies. Demonstrationes anatomico-pathologicae Prof. Dlauhy et Dietterich, Sectio aegrotorum pectoris morbis laborantium, cui Prof. Hammernigk praefuit, novam mihi aream exhibuerunt, quam unusquisque medicus rationalis colat, necesse est. Omnes, quos enumeravi, praeceptores, simul amici fuerunt benevolentissimi; ceterum per se quisque praestanda praestitit. Illud praeceptorum studium, illa humanitas omni tempore eadem manserunt. Silentio quoque praetermittere nequeo medicorum secundariorum benevolentiam et liberalitatem, inter quos praecipue Doctorum Wishaupt, Pilz, Finger et ceterorum grato animo mentionem facere placet. Omnes etiam medicinae studiosi, qui anno 1846 — 47 — 48 nosocomium Pragense mecum frequentabant, non minori benevolentia et urbanitate excelluerunt. Quidquid vitae dul-

cedinem et utilitatem comparare potest, Pragae consociatum fuit. Peractis revolutionis turbis, quae Pragae pariter atque Vindobonae et Berolini novae instabant, gratissimo quidem sed tristi animo huic urbi et amicis valedixi. Etiamnunc memoriam celebro amicorum, fratrum Seiffert in urbe Miess, quorum parentes paterno amore me exceperunt, quos rogatos velim, ut in posterum quoque mei memores sint. Inde Monachiam, quae tranquillitate tunc fruebatur, ad amicorum carissimorum societatem properavi a. 1849, ut ibidem, donec Berolini res essent pacatae, ducibus viris sincerrimis, Profess. Ringseis et Prof. Horner, in nosocomio ad praxin medicam incumberem; qui quidem viri pro viribus me adjuverunt et benevole gubernarunt, quanquam inficiari nequeo, ardori meo practico varia impedimenta sese obtulisse tandemque me fatigasse. Qua in urbe nunquam non mihi carissima inter familias Prof. Hofmann, Assess. Kleinschrodt, v. Lichtenthaler, v. Schanzenbach, v. Krempelhuber, v. Waldmann, Bonn, Weber, nec non in singularibus societatibus (e. gr. in ea, quae Mänderbräu dicitur), pulcherrimos et jucundissimos vitae dies transegi.

Audiebatur hora, quae Berolinum proficisci me jussit, ut ea absolverem, quae medicum practicum futurum absolvere oportebat.

Veritatem profitendi summum officium mihi proposui.

Quanquam aegre Berolinum adii, quum pravi rumores pessima ibi me exspectare juberent, tamen exspectationem me fefellisse, lubenter et ingenue fateor. Amicus in-

tegerrimus, Dr. Wilms, non aliter ac frater fratri dilectissimo, mihi subvenit. Nihil impedivit, quominus statim studiosorum numero adscriberer, quo facto viri, litterarum interpretes, attentionem meam mox excitabant et nonnulli eorum singulari amicitia me amplectebantur. Scholae succinctae, perspicuae, completae Profess. J. Mueller de anatomia comparata et embryologia; policlinice Prof. Romberg ad aemulationem invitans, in qua multa Pragae audita mihi obvenerunt et insigni comitate omnes tractabantur (jam altera vice eam frequento); clinice examinatoria Prof. Juengken; lectiones pragmaticae et clarae Prof. Hecker de historia medicinae; egregia humanitas Prof. Boehm, cujus lectiones perspicuas de akiurgia cum voluptate audivi et quo duce primum exercitationes operativas institui; scholae Doctoris Stein de entomologia, qui nihil omisit, quod rem dilucidare posset; denique scholae et demonstrationes perjucundae Prof. Schlemm; haec omnia, inquam, ita me oblectarunt, ut hilari animo Berolini degerem. Multa mihi superesse discenda intellexi et veritatem illius Hippocratici „ars longa, vita brevis" mihi persuasi. Multa in hac litterarum universitate me profecturum esse, confido.

Semestri hiberno a. 1849 repetitoria et demonstrationes Doctoris A. Mueller, breves quidem, sed erudientes et attentionem minime fatigantes, frequentavi, quas multis utilissimas fore existimo, quum Dr. Mueller indefesso studio omnia quam maxime perspicua reddere miraque comitate auditoribus succurrere

conetur. Repetitoria etiam Doctoris R a v o t h admodum mihi placuerunt. Exercitationes in theatro anatomico, ducibus Prof. J. M u e l l e r et S c h l e m m, et scholae eorum anatomicae, nec non exercitationes operativae duce Prof. S c h l e m m, omni ex parte mihi satisfecerunt, quare his viris maximas debeo gratias. Quid dicam de scholis anatomico-pathologicis et demonstrationibus Prof. V i r c h o w, utpote acutissimis, ingeniosissimis, summa perspicuitate excellentibus, quas eheu! per breve tantum tempus frequentare potui, quoniam Prof. V i r c h o w Herbipolin vocatus est. Nemo non ejus merita agnovit et medicina haud temere confidit, eundem problemata difficillima diremturum esse, in quibus operam se collocaturum, discedens pollicitus est.

Quum tot et tam egregiae occasiones mihi oblatae sint, litteras medicas colendi, multi fortasse ratiocinabuntur, me plurima hac in re praestiturum esse. Caveant tamen, ne fallantur; poenitet enim, me in colendis studiis ordinem debitum non servasse, sed magna litterarum cupiditate abreptum nimiis scholis me obruisse. Non debita instructus notitia anatomica et physiologica ad practicam medicinam transii, quare non semper usum exoptatum ex institutionibus saepe egregiis cepi. Me theoreticam meam scientiam multis esse completurum, confido. Meditandum porro est, me novissimo demum tempore omni animi vigore ad studia medica me accinxisse, ultimo inprimis biennio, quo turbae politicae impediverunt, quominus controversiam

Hermesianam brevi tempore dirimi posse sperarem. Nihilominus veritatem aliquando, etiamsi sero, victricem discessuram esse, persuasum habeo.

Semestri aestivo a. superioris tentamine philosophico et m. Septembri examine rigoroso superatis, in eo sum, ut intimum cum litteris connubium celebrem. Gravissimo hoc vitae momento imbecillitatis meae, beneficiorum a parentibus, praeceptoribus, amicis integerrimis in me collatorum probe memor, non possum, quin sanctissime pollicear, me omnibus gratias sempiternas esse habiturum, etiamsi ne promtissimo quidem animo omnia me remunerari posse, intelligam. Persuasum habeatis velim, me et officio et vestris beneficiis obstrictum, quidquid possim operae in eo collocaturum esse, ut omnium hominum salutem assidue curem. Hoc interposito juramento vobis polliceor. Quaecunque bona coelitus nobis suppeditantur.

O Deus omnipotens in gubernandis et sustinendis hominum fatis, sanctissime, justissime, benignissime hominum pater in coelis, clementer accipias grates creaturae mortalis, cujus fiducia providentiae tuae habita nunquam labefactari potuit. Vitam meam, quod pia mente oro et rogo, ita regas quaeso, ut nomen tuum celebrare hominumque salutem, quantum queam, adjuvare non desinam. Tuearis parentes meos, praeceptores, amicos sinceros omnibusque per hanc et futuram vitam felicitatem veram non interituram largiaris. Tu remunereris velim, quae equidem iis debeo, solvere autem nequeo.

Exaudias, omnibenigne Pater, preces meas per filium tuum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti per saecula saeculorum. Amen!

THESES DEFENDENDAE.

---

1. Pericardii punctio rejicienda est.
2. Vulnera intestini transversa longitudinalibus periculosiora sunt.
3. Ante herniotomiam taxis experienda.
4. Catheteres metallici elasticis praeferendi.
5. Lithotritia lithotomiam supervacuam non reddit.
6. Generationem aequivocam nego.
7. Transitus materiae nutritiae a matre ad foetum per endosmosin fit.
8. Ad curandas ani fistulas culter praestat ligaturae.
9. Nullum pelvimetrum desideriis plane respondet parumque sperare licet, fore ut tale unquam inveniatur.
10. Membranam deciduam reflexam nego.
11. Diabetes functionalem, non organicum morbum sistit.
12. Nulla scabies, nisi per sarcopten.
13. Arachnitidem nego.

14. Et torsio arteriarum et ligatura adhibendae et in chirurgia magni momenti sunt.

15. Solus symptomatum complexus diagnosin certam reddit.

16. Mammae amputatio repudianda.

17. Thoracis paracentesis rarissime administranda.

18. Trepani usus raro indicatur.

19. Officinae, in quibus bacilli sulphurati conficiuntur, strenuam exigunt custodiam, ut necrosis phosphorea caveatur.